DEO OPT. MAX. VNI ET TRINO, VIRGINI DEIPARÆ, ET SANCTO LVCÆ, ORTHODOXORVM MEDICORVM PATRONO.

QVÆSTIO MEDICA

CARDINALITIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA

IN SCHOLIS MEDICORVM, DIE IOVIS IV. MARTII.

() M. ROBERTO TVLLOVE, Doctore Medico Moderatore. (:) 1038.

Inducit-ne Somnum Venus Moderata?

VT nox & dies diuidunt tempus, ſic vitam hominis Somnus & Vigilia; vtriuſque affectionis longè impar nobilitas, neceſſitas ferè compar; Vigilia nihil aliud quam vita ipſa eſt, Somnus gelidæ licet mortis ſit imago germana, vitæ in dies renaſcentis quodammodo eſt parens: Vigilia aulici blandientis ad inſtar cunctis animæ placitis facilem ſe præbens corporis ærarium exhaurit, Somnus huiuſcemodi iacturæ quaſi inuigilans nouas opes perpetuo ſubminiſtrat: hinc vita noſtra in otium & negotium diſtincta non alterius expers modo, ſed ne quidem ſine debitâ vtriuſque commoderatione ad longam protrahi non poteſt ſenectutem: hanc mediocritatem pauci cùm ſeruent, multi exceſſus incommoda patiuntur. Molles dum ſuo genio effœminatiùs indulgent ſeipſos plerumque in feralibus linteis ſepeliunt, fortes cum ἀϋπνοτάτου illius Scopeliani præceptis inſtituti à minore ſomno generoſiùs abhorrent, in maiorem ſæpius ſe præcipitant: Vtriſque modum imponet Medicus qui æſtuantis in nobis caloris natiui fluxus & refluxus apprimè calluerit.

QVI calorem natiuum vſque adeò venerati ſunt, vt totam in ipſo animæ eſſentiam collocarent, nubem pro Iunone captarunt; qui rerum omnium quas præſtat in corporibus noſtris admiratione perculſi, cœleſtis cum eſſe ignis particulam credidere, admirationis matrem amplexi ſunt; qui demum elementaris duntaxat Naturæ eſſe conſortem voluere, ij ſoli veritatem coluerunt: viuificum tamen hoc Nectar, caducæ licet elementorum ſortis ſit compos, dum eius animæ cuius imperio addictum eſt, viribus extollitur, tanta cum ea affinitate & neceſſitudine videtur eſſe coniunctum, vt non minus legitima Stoïci, dum illud pro animâ adorarunt, quam Perſæ, cum ſolem pro Deo, excuſatione ſint excipiendi, non ſecus enim ac pro alterno ſolis ortu aut occaſu in rerum vniuerſitate vitæ & mortis ludit alternatim imago; ita pro vario caloris ad ſenſuum organa appulſu aut receſſu quædam in cunctis animalibus vitæ & mortis reciprocatio animaduertitur. Enimuero ſtatim atque communis ſenſus à viuifico calore deſinit foueri, præceps oritur ſenſuum omnium ἀδυναμία, defeſſumque animal in viuendi & non viuendi interliminio collocatur, hoc eſt ſomno ſopitur, quem rectè definieris primi ſenſus κατάληψιν, ex caloris innati ad partes internas motione, qua virtus animalis fatigata reficitur, & naturalis valentior redditur.

CVM Somni cauſam ſtatuis σύνοδον ſiue contractionem caloris ad interiora, caue ne huiuſmodi receſſum fieri tantummodo exiſtimes per ἀντιπερίστασιν quandam ex refrigeratione & grauitate capitis ortam, ſunt quippè plures aliæ cauſæ quæ hunc calorem remouent, ipſiuſque ad ſenſuum organa ἔκλαμψιν præpediunt, ſi quando enim multi crudique humores in prima regione ſtabulentur, Natura exercitati Imperatoris more, neglectis vnde non tantum periculi imminet ſenſuum functionibus, calorem in quo tota eius domus inclinata recumbit ad ſuppetias facultati naturali opportunè ferendas illuc confert: Remoræ interdum loco ſunt eidem calori narcotica, aliaque refrigerantia quorum virtute immobilis quodammodo factus ſiſtitur in ſuo fonte, neceſſariamque cerebro facultatem non elargitur: plerumque ex variis animi pathematis, tum labore, laſſitudine, venæ ſectione & purgatione imbecillior redditus, quo reſarciatur illa iactura, ad ſuam arcem ſeſe recipit: huc adde refrigerantia admota quæ à ſenſuum organis eum deturbant, obſtruentia & adſtringentia quæ ad ea ipſi viam præcludunt: denique multa conſuetam illius anadromen reuellendo intercipiunt vt lotiones, frictiones, extremorum titillationes, in quibus non immerito principem locum tribuemus ei quæ ex venere percipitur voluptati.

BREVE ita ac fragile eſt, in iis etiam quibus largiſſimè contingit, vniuerſum æui tempus, tamque exactâ lege mortis pallores cum vitæ amœnitate confunduntur, vt ortus noſtri ianua ſit propior letho, nihilque aliud eſſe videatur vel quæ ſub fœliciori aſpectu conceditur γένεσις quam ἐς τὴν γῆν ὦσις. Fatali huic interitus neceſſitati prouidit Natura mirabili illa procreandi libidine quam, vt ſpecies ſalua conſeruaretur, cunctis viuentibus inſeuit, cuius impetu excitatum vnumquodque indiuiduum, cùm mortale & diſſolubile ſe ſentiat, aliud ſibi ſimile optat in ſuum locum reponere, per quod quaſi repueraſcens, atque renouatum quodammodo perpetuum fiat, conditionemque, quantum in ſe eſt, ſubeat diuinam: perfecta animalia propter ſenſum motu prædita diſtinctumque idcircò maris ac fœminæ ſexum ſortita, cum mutuas ſibi ad generationem præſtent operas, mutuum etiam complexum, & vt ex ambobus quaſi vnum fiat animal, corporum quo poteſt fieri modo coïtum requirunt: in eum vſum constructa ſunt à Naturâ vtriuſque ſexus genitalia, quæ vt acriùs ſollicitarentur, incredibili voluptatis œſtro perfudit propter copiam ſpirituum ab vniuerſo corpore ad partes exquiſitiſſimi ſenſus cum ſemine ἐνορμώντων.

VENVS ſpecierum conſeruatrix, corruptionis indiuidui ſæpius eſt mater: dumque hac in parte natura particularis vniuerſalis voto immoderatiùs reſpondet, violentas plerumque ipſa ſibi infert manus: hinc ſalaces & qui ſemine redundant ocyſſimè ſeneſcunt, Mulus equo & aſino ex quibus procreatus eſt plus temporis viuit, & in paſſerum genere mares breuiorem quam fœminæ vitam obtinent. Neque tamen idcircò Naturam nouercatus temerè inſimula? Proderit & tuæ conſeruationi Venus, ſi hac mediocriter vtare; ſalutare non minùs quam iucundum eſt illud exercitij genus, nec inferiorem ad ſanitatem vim habet Domitiani Clinopale, quam Socratis ſaltatio, plethoram minuit, Athletas torpentes reſtituit, lumborum dolori, oculorum hebetationi, pituitoſis ac melancholicis opitulatur, quid plura? inſignis illa quæ tunc temporis percipitur voluptas, calorem natiuum à ſuperioribus partibus ad inferiores reuellit, vnde ſequitur ſenſus primi κατάληψις, ac proindè ſomnus. Ne tamen tuæ libidini ita ſeruias, vt mediocritatem non ſerues, ſi enim in quacumque alia re cauendum ne quid nimis, tum maximè in venere, vtpote in qua homo alius exiliat ex homine. Itaque lex iſta ob oculos ſemper tibi ponatur, labor, cibus, potus, ſomnus, Venus, omnia mediocria.

Ergo Somnum inducit Venus moderata.



Proponebat Lutetiæ NICOLAVS MORIN Turonenſis, A. R. S. H. M. DC. LV.